



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Didacus Paiua n. 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

5. A DIDACO PAIVA DE ANDRADE Doctore sapientissimo, qui à serenissimis Portugallia Regibus ad Tridentinam remissus Synodum semper interfuit, & pro Societate aduersus Kemnitium valenter scripsit: Is postquam in Praefatione ante lib. 1. Orthodoxarum explicationum Nostros vocarat Homines Catholicae, piæ, veræ, & excellentissimæ doctrinæ, Institutum vero sanctissimum, & seuerioris, & ad veterem Ecclesiæ normam confirmatæ disciplinæ, & qui laboribus immensis ab vniuersa fere Germania pestem redimunt, florentissimamque Prouinciam ad antiquam Religionis puritatem restituunt: Tum ipso libro

Eius Institutum, & filij laudantur.

Ex doctrina excellentia, & laboribus immensis in hæresi perniciem.

1. Kemnitium alloquitur inquit. Diligenter amabo te, perscrutare omnes illorum actiones, & curiosè inuestiga, an quidquam in vniuersis eorum Consilijs reperire possis, quod inflammatum in Christi plebem amorem non spiret. Hic est, qui tuum in eos funestum odium concitauit. Hæc apud Paul. Leonard. Apolog. pro scientia Media Par. 2. num. 85.

Spirant inflammatum in Christi plebem amorem.

AB EODEM, Societatem suorum Martyrum sanguine purpuratam contemplante: Infinitum (inquit) quidem esset numerando percensere, quot illius viri in hoc docendi Euangelij, atque Indicos homines ab impietate auocandi munere, verberibus cæsi fuerint, quot vinculis obstrikti, quot in carceres miserè contrusi, quot inedia fere consumpti, quot denique ob Christi nomen varijs cruciatuum generibus interierint. Hæc ille lib. 1. Orthodox. explicat. apud P. Nigron. sup. Regul. Soc. tit. Par. 3. n. 14.

Quanta patientur in Indijs, vt homines ab impietate auocent.

6. A PETRO VICTORE In Appendice ad Chronolog. Genebrardi anno Mundi 5673. & Christi Domini 1583. vbi ille sic ait: Deus semper in Ecclesia sua suscitauit viros heroica virtute præditos, ac præsertim remedium malis nostris peropportunum, veluti data opera miraculis gloriosum, & doctrina eximium Sacrum Patrum Iesuitarum Ordinem esse voluit, à quo solo fere tota Ecclesia videtur restituta, sine aliorum Ordinum iniuria, sed in laudem omnipotentis Deo, & misericor-

Societas Ordo est miraculis gloriosus, & doctrina eximius.

A quo solo tota Ecclesia videtur restituta.